



00 000

294<sup>2</sup>  
qm.



31  
122

MEDICATIO DUORUM ÆGORUM,  
Quorum unus  
**Dolore Hæmorrhoidali;**  
Altera  
**Articulari Laborat:**

*Q V A M*  
Divino adjuvante Numine  
SUB PRÆSIDIO  
CLARISSIMI VIRI  
**D. HENRICI REGII,**  
Reip. Ulrajectinæ Poliatri, & Medicinæ  
ac Botanices Professoris Ordinarii, ac p. t.  
Rectoris Magnifici,  
Publicè ventilandam proponit  
**ISAACVS CHOMBART,** Francofurtensis.  
Ad diem 5. Maij horâ nonâ matutinâ.



ULTRAJECTI,  
Apud JOHANNEM à NOORTDYCK,  
Academie Typographum. Anno 1649.

*Reverendis raraque Fidelitatis Spectatissimis Viris;*

D. ISAACO CHOMBART,  
parentimeo plur. observando, filiali  
honore & perpetuo amore quoad  
vivam venerando :

D. FRANCISCO SYLVIO,  
Cognato suo dilectissimo, omniob-  
servantiâ & honore colendo :  
Insigni eruditione multoque rerum usu ac experientiâ  
præstantissimis & excellentissimis.

N E C . N O N

*Subtilissimo Philosopho, Theologo acutissimo pietate  
venerando*

D. IOHANNI SANTENO, Lib. Art.  
Mag. Vesaliæ in Inlyto-Gymnasio ibidem Re-  
ctori vigilantissimo, Præceptorí meo ac de stu-  
diis meis optime merito.

*Academicas hasce studiorum meorum primitias,  
in debitæ gratitudinis & amoris perpetuum  
testimonium,*

Animo  
imo

*Offero, consecro, & inscribo  
ISAACUS CHOMBART,*

MEDICATIO JUVENIS,  
**Hæmorrhoidum Dolore**  
 LABORANTIS.

## I.

**I**UENIS triginta quatuor annorum, temperamento melan-cholicus, poculis largioribus sæpe indulgens; jam à longo tempore, magno dolore calore & tumore, per interval-la recurrente, circa anum laborat. Interdum sanguinem ex podice emittit, qui dolorem illum magnopere levat. Potissi-mum autem, ubi alvum dejicit, durioremque illam habet, dolor ipsum torquet.

## II.

Afficitur in hoc è gro podex, sive inferior intestini recti pars; & præcipue secundum vasa hæmorrhoidalia ibi existentia; quod ex dolore, & tumore ibi conspicuo, est manifestum.

## III.

**M**orbus, quo hic æger laborat, est tumor ani, cum intem-perie acri & calida conjunctus, qui ingentem dolorem in eo per intervalla, & præcipue dum alvus durior deponitur, ex-citans, *Hæmorrhoidum dolor*, sive *Hæmorrhoidum suppressio* ap-pellari solet.

## IV.

**C**ausa procarœtica hujus morbi est potus intemperantia, qua, adjuvante melancholico ægri nostri temperamento, crassi fæculenti & acres humores in corpore sunt geniti, qui antece-dentem huic morbo præbuerunt causam. Pars verò eorum per poros arteriarum & venarum hæmorrhoidalium, ob cer-tam suarum insensibilium particularū adaptationem, in par-tes podici vicinas propulta, ibique hærens, sua quantitate &

Kk 2                    acri-

acrimoniâ tumoris ac doloris, & caliditate caloris ani est cau-  
sa continens.

V.

Affilit autem hic affectus per intervalla: quod materia  
nova, non perpetuo, sed certis intervallis in corpore satis co-  
piose gignatur, & aptitudinem talem acquirat, ut in partes  
ano vicinas propelli satis copiose possit; ea autem materia,  
quæ in podicem jam ante fuit propulsa, paulatim dissipetur:  
atque ita inducas hic affectus facit. Dolor autem podicis ab  
excrementis alvi duris intenditur, quod dura illa excrements  
dum excernuntur, tumentem podicem quam maxime disten-  
dant & premant. Ab excretione sanguinis ex podice levatur  
dolor, quod ea imminuat doloris & tumoris causam conti-  
nentem.

V I.

Metus est, ne hic dolor ingentem faciat tumorem, qui in ani  
fistulam degenerare, & languinis totius corporis corruptelam  
ac hydropem inducere possit.

VII.

Curatio itaque est tempestivè aggredienda: quæ in pravo-  
rum humorum eductione & correctione, atque in tumoris &  
doloris ablatione consistet.

VIII.

Primò itaque, præmisso clystere emolliente, educatur san-  
guis ex brachio dextro ad vnc. viij.

Deinde utatur hoc apozemate:

Rx. fol. lactuca, buglossæ, malvæ an. M. j.  
liqueritiae rafe, passifl. mundat. an. vne. f.  
flor. borrag., bugloß. violar. an. p. ij.

Coquantur in aq. comm. ad lib. j. In colaturā  
dissolve cassia recent. extracte syr. violacei an. vne. j.  
Misce, F. Apozema, de quo sumat vnc. iij. bis in die:  
Dum

Dum his utitur, adhibeatur podici hoc linimentum:

Rx. *cineris combusti suberis vnc. j.*

*vitelli ovi N°. j. olei rosacei q.s. F.* Linimentum.

Summopere etiam hic commendatur hoc linimentum:

Rx. *herb. linaire cum floribus M. ij.*

*decoquantur ad mollitem, jisque, contusis & cum adipe porcino q. s. coctis, addatur vitellum ovi, Ac fiat liniment: quod cum gossypio podici dolenti adhibeatur.*

### IX.

Ad doloris levatē hirudines etiā podici adhiberi possunt, ilque sanguis ad vnc. iii. vel iv. educi.

Ad curationem & præservationem summopere hic conducta aquæ, in qua, dum fervet, millefolium est infusum siue maceratum, usus, per mensem continuatus:

Item sacculus, ex radicibus chelidoniæ minoris, cum gossypio in linteo consutis, confectus, & circa os sacrum perpetuò gestatus.

### X.

*Dieta* hic sit tenuis ad humidum declinans, & alvum laxans. Cum cibis itaque sumantur borago blitum, spinachia, malva, passulæ. Aromata & acria vitentur. Potus sit tenuis cerevisia & vinum oligophorum. Alvus si durior fuerit, ea clystere ex jure pingui vel ex decocto emolliente emolliatur.

## MEDICATIO MULIERIS

# ARTHRITIDE

## LABORANTIS.

### I.

**M**ulier 25. annorum, bene habita, admodum crassa, & frequenter temulenta, cruciatu magno affligi cœ-

Kk 3

pit

pit primò circa articulum coxendicis', mox in poplite, tandem in manibus pedibusque, & in regione dorsi ac cervicis. Tumor cum rubore in multis locis se manifestat, adeoque illā torquet, ut ex contactu, decubitu, & sessione, dolores intollerabiles patiatur.

II.

Afficiuntur in hâc ægrâ coxendix, poplites, manus, pedes dorsum, & cervix: ut ex dolore, tumore, & rubore, illas partes infestante, est manifestum.

III.

*Morbus*, qui eam afflit, est intemperies ferosa, salsa, acris, & tartarea: quæ dolores ingentes item tumorem & ruborem in partibus affectis, jam commemoratis, excitans, *ambritis* sive *dolor articulacris* nuncupatur.

IV.

*Causa procatarctica* hujus morbi est temulentia, cui ægra nostra frequenter indulgere solet. Atque hinc natæ cruditates, & ex his acres, salsi, & tertarei in corpore geniti sunt humores; qui cum sanguine per totum corpus diffusi, antecedentem huic morbo præbuerunt causam. Pars verò eorum in vasis effervescens, & in membranas & nervosas articulorum partes sese effundens, easque acrimoniâ suâ pungens & rodens, intolerabilem istorum dolorum tumorum & ruborum, a quovis contactu exacerbantium, continens est causa.

V.

Quia hic morbus est recens, & ægra est juvenis, spes est morbum brevi sublatum iri. Metus tamen est, ne saepius recurrit; & nisi recte curetur, in asthma, vel hydropem, vel spasmus, aut paralysin degeneret.

VI.

## VI

*Curatio itaque diligenter erit instituenda: quæ in humorū pravorum eductione, & intemperiei per contraria correctiōne, dolorumque lenitione consistet.*

## VII.

Primo itaque vena secetur & educatur sanguis ad vnc. viij.  
& postridie purgetur talibus pilulis:

Rx. pil. de hermodactilis, vel fætidar. scrup. j.  
scammonij scrup. s.  
cum syr. ros. sol. q. s. F. pilulae N° V.

Sequenti die inungantur loca dolentia, spiritu vini prius madefacta, tali linimento:

Rx. ol. chamomillor., lilior., amigdal. dulc. an. vnc. j.  
unguent. dialthæc vnc. s. Misce pro linimento.

Si ab usu hujus linimenti dolor ingravescat, tale adhibeatur:

Rx. aq. spermatis ranarum, tarsi barbati an. lib. s.  
ius infunde tutiæ, lithargyrij an. vnc. s.  
vitrioli calcinati, aluminis an. drag. ij. Misce:  
hoc liquore foveantur partes dolentes cum linteis te-  
pide.

Et vesperi sumat hoc somniferum & anodynōn;

Rx. syr. papaveris albi vnc. s.  
julapij rosati drag. j. Misce.

## VIII.

Perseverante dolore utatur sequenti apozemate sudorifero,  
alterante, & purgante:

Rx. scobis ligni guaiaci vnc. ij.  
ligni saffaphras vnc. j.  
rad. enulae vnc. s.  
herb. chamaepiteos M. j  
flor. anthos, salviae ana. p. ij.

fol.

fol. senns vnc. j. s. agarici vnc. s.  
sem. fenicul. coriandri an. dragm. ij.  
carthami conquaſſ. vnc. i.

Decoquantur post macerationem in aq. com. q. s. ad lib. j.  
Colatura adde faccari vnc. ij. Misce F. Apozetma, de quo  
sumat vnc. v. calide pro dosi summo mane, corpus plus solito  
tegendo, ut proliuantur sudores.

### VIII.

Si dolor valde ſæviret, tale narcoticum tuto & efficacissime  
adhiberi posset:

Rx. spirit. vini per croci infusionem flavescentis vnc. iv. camphora  
ſcrup. j. Bullant parum; deinde in ijs diſſolveo pii drag. j.  
Hoc liquore partes dolentes illinantur.

### IX.

Ubi doloribus levata erit ægra, ne rursus in hunc morbus  
labatur, sub tempus autumni & veris corpus erit purgandum;  
& optimâ diætâ ipſi erit ſemper utendum.

### X.

Verſetur itaque in aëre temperato. utatur alimentis, quæ  
modice nutriant, iisque ſobrie utatur. Potus fit hydromel.  
Vitet vinum præſertim, generofum. Exercitia ſint mediocria;  
ubi malum quieverit, tempore doloris illa vitabit. Somnus  
fit moderatus. Alvum ſolutam habeat natura vel arte: Ve-  
nus fit parca. Fugiat animi pathemata.

00 A 6396

ULB Halle  
002 928 167

3



Stra



OLLARIA.

recte dividitur in theoreticam &


Medicina finis perpetuus.

Medicina non recte vulgo traditur.

ruis fetus potest esse sanus.

doque superdormire conceditur.

omo aliquandiu supervivere potest.



MEDICATIO DUORUM ÆGORUM,  
Quorum unus

# Dolore Hæmorrhoidali;

Altera

## Articulari Laborat:

*Q V A M*

Divino adjuvante Numine

SUB PRÆSIDIO

CLARISSIMI VIRI

D. HENRICI REGII,

Reip. Ultrajectinæ Poliatri, & Medicinæ  
ac Botanices Professoris Ordinarii, ac p. t.

Rectoris Magnifici,

Publicè ventilandam proponit

ISAACVS CHOMBART, Francofurtensis.

Ad diem 5. Maij horâ nonâ matutinâ.



ULTRAJECTI,

Apud JOHANNEM à NOORTDYCK,  
Academiæ Typographum. Anno 1649.